Quelle: http://manuscripta.at/?ID=343
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ut ipse abraham & mundus. fidei eius
unitatem. & firmitatem cognosceret.
& unicum offerebat in quo susceperat.
i. in quo facte erant ei. repromissiones.
ad quem dictum est. quia in ysaac uoca
bitur tibi semen. & quasi aliquis que
reret. quomodo ergo deum. ueracem esse crede
bat. subdit. arbitrans quia potens est
deus. & a mortuis suscitare illum. si
cut & de nichilo facere. Non trepi
dauit abraham credere. quod promit
tebatur. non trepidauit offerre. quod
exigebatur. eius dextera erigitur ad sa
crificium. ut moreretur. cuius cor ele
ctum est. ad fidem ut nasceretur nec
fuit religio credentis contraria deuotio
ni obtemperantis. Promissionem. ii.
pius pater fideliter tenens. quam
per hunc oportebat impleri. quem deus
iubebat occidi. non hesitauit quod sibi
reddi poterat immolatus. qui dari
potuit non speratus. non sibi fecit
questionem. quasi de contrariis. &
sibi aduersantibus uerbis dei pro
mittentis. filium nasciturum. &
postea dicentis. occide michi filium
tuum. sed erat in corde eius. fides in
concussa. & non deficiens. qua cre
didit deum. qui dedit ut ille de semine
nasceretur. posse & iam de morte
reparare. Unde. scilicet quia tantam
habuit fidem. & accepit eum in pa
rabolam. & non solum in re. sed & in
significatione. Intellexit enim
xpm significari. cuius deitas non
moritur. sed aries herens cornibus
inter uepres. id est caro xpi laborans.
inter iudeos. in cornibus crucis potu
it deo offerri. spinis iudaicis. ante
coronata. fide & de futuris. que non
uidebantur habita. benedixit. ysaac.

iacob. & esau. ysaac enim fidem habu
it. qua credidit. non solum quod bene
dictus esset melior. s. & iam quod xpi
anus populus supplantaret benedi
ctionem iudeis. Item. Iacob moriens
fide. habita de his. que non uidebantur.
benedixit singulis filiorum io
seph. scilicet ephraim. & manasse. quia
singulis cancellatis manibus propriam
benedictionem dedit. & dextra super
ephraim posita. leua autem super
manassen minorem. maiori preposuit
& adorauit fastigium. Vel super fastigi
um uirge eius. Quid est quod adora
uit super cacumen uirge ioseph. forte
tulerat a filio uirgam. quando ei idem
filius iurabat. & dum eam tenet. post
uerba iurantis. non dum illa reddita
mox adorauit deum. Non enim pude
bat eum ferre. tantisper. insigne pote
statis filii sui. ubi figura magne rei
future presignabatur. id est regni xpi
futuri in gentibus. & est sensus. & ad
orauit deum. scilicet erectus & incon
cumbens super fastigium. idem cacu
men uirge eius. Vel mystice super
sine. & adorauit fastigium uirge eius.
id est xpm. per quem in egypto domi
nium & discipline uirgam habuit.
Vel adorauit super fastigium uirge eius.
id est super regimen xpi. id est pre reg
no xpi futuro in gentibus. quod in
illo significabatur. orauit. Item. Ioseph
moriens fide. habita de futuris me
moratus est de perfectione filiorum israel.
de egypto ubi significabatur fideli
um redemptio a peccatis & fide futu
re resurrectionis de ossibus suis man
dauit. adiurans filios israel ut aspor
tarent ea in terram promissionis. &
reconderent ea in sepulchro patrum

a. g. de ciu. di.

a. g.

a. g. in lib. quest. Genesi

ioseph